

directio ad dextros radios passiones nati significet, eadem uero ad sinistros, & actio-
nes, & passiones nati.

Excellentia, siue intensio significati, per directiones, accipi debet tam à signi-
ficatore, quàm à promissore. Vt exempli gratia; Si Sol dirigeretur ad corpus, uel ra-
dios Iouis, & esset Sol potens, & Iupiter similiter potens, ut si essent ambo in angu-
lis, aut suis dignitatibus significarent prælaturam, aut iudicij dignitatem maximam
uel administrationem alicuius notabilis rei, uel cum aliquo principe amicitiam.

Quòd si significator fortis fuerit, & promissor debilis, parum nocebit illa dire-
ctio. Si uero debilis fuerit significator, & promissor malus fortis, tunc accidentis ma-
gnitudo erit in eo genere, in quo demonstratur ab ipso significatore.

Vide etiam diligenter an gradus directionis aspiciatur à bono, uel malo pla-
neta. Nam si malus aspicit malam directionem, id est malum promissorem, inten-
detur significatum hoc multo plus in malum. Si bonus aspicit, minuit maliciam di-
rectionis.

Quando significator, & promissor habuerint declinationes, uel latitudines si-
miles, tunc sequitur intensior effectus directionis, quàm si essent discordes in latitu-
dine, uel declinatione.

Significatum directionis durat donec idem significator ad alium sequentem
promissorem peruenerit, sed maxime apparebit eo anno quo talis contingit.

Quando fit directio significatoris ad aliquam stellam fixam, malignam, pri-
mæ, uel secundæ magnitudinis, ingerit magnum impedimentum nato de natura
ipsius stellæ.

Quando aliqua directio pertinet ad promissorem malum, & exinde iterum
ad malum, erit magnum periculum.

Directio significatoris ad infortunam, peior est quàm directio infortunæ ad
significatorem.

Si ascendens natiuitatis fuerit Hylech, quando peruenerit directio eius ad gra-
dum eclipsis, morietur natus.

Si aliquis angulus eclipsis ceciderit in ascendentem alicuius nati, ui interficiet
eum.

Sol & Luna si ad eundem locum radium quadratum, uel oppositum iaciant,
non abscondent uitam nati propter temperiem resultantes.

Cometa apparens nocte in ascendente, uel cum Luna in nocte, si Luna habet
dominium in ipsa natiuitate, abscondit uitam nati.

Luna abscondit ascendens, & ascendens Lunam.

Partes & planetæ retrogradi, diriguntur secundum successionem signorum.

Ptolemæus dirigit significatores in medietate occidentali, contra successio-
nem signorum, cum quo alij omnes non concordant.

Nota quòd semper cum aliquis significator peruenerit per directionem, uel
profectionem ad aliquem locorum abscissorum, siue interfectorum, impediatur na-
tus secundum quod significat significator. Vt si fuerit significator substantiæ, in di-
uitijs. Si fuerit significator corporis, in sanitate, uel ægritudine, & impediatur natus
secundum naturam abscissoris, & loci in quo est, ac etiam domus. Ex hoc maxime si
fuerit in loco, & termino infortunæ. Sed si in dicto loco abscissionis fuerit corpora-
liter fortuna, uel radij eius boni, significat quod natus non habebit dictum impedi-
mentum, & si habebit, erit leue. Et si fortuna aspiciens fuerit debilis, grauabitur na-
tus minori modo, quàm si non aspiceret ibi fortuna &c.

Cuspides domorum cæli diriguntur pro suis significatis.

Planetæ diriguntur. Nam Saturnus dirigitur pro patre, & senibus progeniei,
pro maioribus fratribus, pro rebus occultis, pro infirmitatibus, pro commodo, uel
incom-